



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Lucas Euangelista. 18. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

18.Octob. VITÆ SANCTORVM. 507

ibis? quin etiam improbe illam ex animo tuo
imaginem deles, quam suā manu, cùm te finxit,
Numen depinxit? Sed quid ajo? dudum hanc
orcus deformavit, & suis te coloribus pinxit. Hoc
unum audi. Aut fallor ego (imò non fallor)
aut, si terræ filius bellum porrò cælis movere per-
gis, si sedibus suis Superos deturbare laboras, ful-
men etiam tu senties. Erat hoc furiosum lacesse-
re. Itaque flagra, taureas inclamat tyrannus: his
lacerum in vincula, inde inter lapidum imbræ ad
infamem mortem raptari jubet. Sed ecce adest,
qui ex itinere, amputato altero pede, Divum
cælo transmittit; profuitque ad compendium
viæ, pedem abjecisse. Ex Surio & Menais.

*Insipiens est, qui se à Paradisi gaudiis peregrinum es-
se non considerat, & se exulem in hoc exilio non atten-
dit. Stultus est, qui licet ista cognoverit, liberari tamen
à mundi miseriâ per vitæ meritum non intendit. Au-
ctor Spec.peccat.tom.9.S.Aug.*

S. LUCAS EUANGELISTA.

18.Octobris.

LVCAM nobis Antiochia Syriæ peperit, edu-
casse verò ipsæ in sinu suo Musæ videntur.
Nam literis & Ægyptiis & Græcis omnibus ex-
cultus, arte insuper medicâ clarissimus habitus
est. Sed nihil hæc omnia ad illa, quæ in Christi
scholâ grandis discipulus didicit, sui Deique
agnitionem. Fertur etiam socius Cleophae fuisse
in Emmaus eunti, tūc cùm ambobus à morte CHRI-
STVS se comitem junxit, hospesque non a symbo-
lus mensæ accubuit. Post hujus verò, quem in cœ-
los duxit, triumphum, ubi in orbis partitionem
cum cæteris Apostolis venit, fidus magno Paulo

508 VITÆ S A N C T O R V M . 18.Octob.
in omni itinere , quin adeò in vinculis Achates,
Christi primò vitam mortemque, tum, quæ Apo-
stoli alii fortiter fecerunt, prescripsit. Abiit è vivis
cùm annum ageret quartum supra centesimum,
& tunc etiam memor medicum se esse , ægris vel
è tumulo medicinam , oleum salutiferum propi-
navit. Illud pñne memoriam fugisset. Primus
fuit LVCAS, qui MARIA M felici manu depingeret,
in eâ tabellâ , quæ etiam hodie miraculis lucet,
dignus profecto, cuius penicillū Mariani omnes
imitentur, idem in animis faciendo, quod LVCAS
in tabellâ fecit. Ex tom. I. Baron.

Recurramus ad innocentiam primitivæ Ecclesie , ut
discamus & possessa relinquere, & in regia paupertatis
simplicitate gaudere. Non nos à cœlesti itinere carnalis
illecebra retrahat lenocinium , quibus per præcedentis
Redemptoris introitum patet anla calorum. Pet. Dam.
serm. de S. Luca.

S. J U S T U S M . 18.Octobris.

Domi cum parentibus JVSTVS puer, at in ser-
vitute frater Justinianus agebat. Igitur nec
sinus jam matris, nec oscula patris arridebant JV-
STO , quæ dividere cum germano non licebat.
Multis proin lacrimis persuadet tandem patri, se-
cum ereptum è servitute fratrem eat. Itur. Am-
bianum venitur. Hic etsi JVSTVS fratrem num-
quam vidisset, inter multa tamen mancipia con-
tinuò agnoscit ; indicium cognato intùs sangu-
ine faciente. Sic dimidio sui jam auctior dum do-
mum redit, à Riccio varo equites adsunt. JVSTVS
postquam spelæo patrem fratremque abdidit, ob-
vius it exploratoribus. Scilicet hi mortem inten-
tant, nî comites prodat. Sed negat ille didicisse se

pa-